



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale, sev Institutio Sacerdotvm, Ex Divinis Litteris Et Vetervm Patrvm Disciplina

Torres, Alfonso de

Ingolstadii, 1604

De benedictione mensæ, ad eamque lectione. §. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48973)

per culpam commisimus; & per fauillam Cineris perpendamus mortis sententiam, ad quam peccando peruenimus. *S. Isid. de off. l. 2. c. de pœnitentibus. S. Gregor. Moral. l. 35 c. 5.*

*De Benedictione mensæ, ad
eamque Lectione.*

§. III.

SVMMARIVM.



ANTE & post prandium benedicenda mensa,
& gratia Deo agenda. 1. 2. 3. 4. 5. 6.

*Inter comedendum nihil immodestia admit-
tenaum, & quid ibi gerendum. 6. 7.*

*Semper immiscenda lectio diuinarum Scripturarum. 7.
8. 9. 10. 11.*

*Post prandium, vltra actionem gratiarum, subsequatur
aliqua viuæ vocis exhortatio. 9. 10.*

1 *CENANTIBVS* autem eis, accepit Iesus panem,
& benedixit, ac fregit, deditq; discipulis, &c.
& hymno dicto, exierunt in montem oliueti.
Matth. 26. Marc. 6.

2 *Et factum est, dum recumberet cum eis, acce-
pit panem, & benedixit, ac fregit, & porrigebat il-
lis. Luc. 24.*

3 *Accipit Iesus panes: & cum gratias egisset, di-
stribuit discumbentibus. Io. 6.*

Gra-

Gratiæ Deo agenda ante & post prandium, & quare.

OPVS est, nos & mensam petentes, & desisten-⁴tes, Deo gratias agere. Ad hoc enim paratus numquam in ebrietatem decidet, aut insolentiam, numquam crapula disrumpetur; sed orationis expectationem pro freno sensibus habens impositam cum debita modestia ex omnibus appositis sumat: & multa quidem animam, multa vero benedictione corpus implebit. Mensa namque ab oratione sumens initium, & in oratione desinens numquam deficiet, &c. *S. Chryf. hom. 79. ad populum Antioch. S. Basilius hom. in Martyrem Iulittam, quæ est 5. inter varias. Oratione 2. de precatone. S. Ambros. l. 3. de Virginibus.*

De eodem.

NON oportet clericos, nisi hymno dicto, comedere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre. *Ex decretis Martini Episcopi Bracharensis, non Papæ, vt male allegatur à Gratiano dist. 44. c. non liceat.*

De eodem.

NIHIL vilitatis, nihil immodestię admittit Christianorum conuiuium: non prius discumbitur, quam oratio ad Deum prægustetur, &c. *Æque oratio conuiuium dirimit. vt sup. §. 1. de sobrietate.*

De

De eodem : ac de lectione ad mensam, & qualiter.

- 7 QUANDO Presbyteri conueniunt ad aliquod conuiuium, Decanus aut aliquis Prior illorum versum ante cenam incipiat, & cibum benedicat; & tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem prebentes, & per vices cibum, & potum benedicant. Et aliquis de illorum clericis aliquid de sancta Scriptura legat, & post refectionem similiter sanctum hymnum dicant, ad exemplum *Mat. 26* Domini, sicut in cena fecisse legitur, & sic se contineant omnes Presbyteri, maxime in talibus locis, vt non vituperetur ministerium illorum. *Concil. Nannet. cap. 11. 12. dist. 44. c. eod. Burchardus. l. 2. c. 162. Iuo. p. 6. c. 253. S. Thom. opusc. 65. c. 7. Vide sup. §. 1. c. manducat, n. 13.*

De eadem lectione inter comedendum.

- 8 PRO reuerentia Dei, & Sacerdotum, id vniuersa constituit Synodus, vt (quia solent mensis crebro otiosæ fabulæ interponi) in omni Sacerdotali conuiuium lectio diuinarum Scripturarum immisceatur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur. *Concil. Toletan. 3. c. 7. dist. 44. c. eod. Africanum c. 6. Rhem. c. 17. 18. Trident. Sess. 2. c. 25. c. 1. de reform.*

De eodem; ac de viuæ vocis exhortatione post prandium.

- 9 RECITETVR ad mensam sacra lectio, subsequatur viuæ vocis exhortatio; vt non tantum corporali.

rali cibo, immo verbi spiritualis alimento conui-
uantes se refectos gratulentur, vt in omnibus ho-
nificetur Deus per Iesum Christum Dominum
nostrum. *Eusebius Papa, & Eutychianus, Concil. Car-
thagin. 4. c. 15.*

De eodem.

AD mensam non solum fauces cibum capiant, **10.**
sed etiam aures exhauriant verbum Dei. *S. Ber-
nard. in Speculo Monachorum.*

Multo auidius audienda lectio ad men-
sam, quam comedendum, aut biben-
dum.

MAIORE multo cum delectatione debemus **11**
audire, quæ ad mensam accumbentibus nobis le-
guntur, quam cum quanta aut edimus, aut bibi-
mus: idque, vt appareat, mentem nequaquam di-
strahi ad corporis voluptates, sed maiorem in mo-
dum se in verbis Domini oblectare. Quod ille fa-
ciebat, qui dixit: Dulciora super mel, & fauum. *Psal. 118.*
S. Basilius in reg. breu. resp. 180. Cassian. l. 4. c. 17. Alia
de hac materia vide sup. §. 1. & inf. p. 3. c. 3. de re-
bus Sacerdoti prohibitis in genere,
c. 4. ne sit vinolentus.

V

De